DEO OPTIMO MAX.

211.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIV.

M. CLAUDIO-ANTONIO RENARD, Doctore Medico, Præside.

Sua-nè Sclopetorum vulneribus Peculiariter competit tractatio?

I.



SOLUTAM extrinsecùs fibrarum continuitatem, variis distinxere nominibus Medicinæ Antistites. Cruentam & recentem factam ab instrumento acuto retuso-vè, tum in molli, tum in durâ parte, vulnus appellaverunt. Huic, quæ ab obtuso corpore est, absque sanguinis effusione, contusionis nomen contigit. Illa verò, quam patiuntur ossium partes fissura modò, modò fracturæ vocabitur. Tria hæcce primaria genera, innumeræ aliæ sequuntur varietates, proindéque divisiones & denominationes, vel à figurâ, vel ab instrumento, vel ab organo læso, tandem à symptomatum syndrome desumendæ. Has inter pluribus titulis infamis est vulnerum species quæ à sclopetis inferuntur. Corporis impellentis, adigentis, mira potentia, stupendus effectus, lædentis figura, parti læsæ subitò impressa mutatio, multa indè frequentiùs consectaria mala, curatio laboriosa, anceps sanatio, nonnè denominatam modò speciem satis superque discriminant? Eccur tractandi methodo etiam differret? Inhorruerint veluti ad monstrum qui truculento illo armorum genere primi tacti sunt, aut cadentes aspexerunt, hæserint qui primi medicatrices manus adhibuerunt; præeunte fulgure occæcati, ignis vestigia, ustionis notas cernere se somniaverint quidam, talium vulnerum arte majori pervicaciâ, accidentiumque numero, ferociâ victi pulveris pyrii venenatam qualitatem accusaverint; novæ *Chirurgiæ* auxilium imploraverint; quis pavorem, quis tot errores inassuetis non condonabit. Recti speciè in novis non decipi arduum etiam nunc. Lapsu temporis rediit intrepiditas; opiniones quasdam Physica discussit, ast eadem remanet vulneris atrocitas. Cui ut tutò succurratur abstinendum à medelæ specialis indagine. Revocentur ad examen Sclopetorum vulnera. Horum cum aliis vulneribus instituatur comparatio; expenduntur similitudinis argumenta; discrepantiæ signa, siquæ sint opponantur; accidentium quoquè habeatur ratio, sic eruantur indicationes curativæ. Tractatio namque peculiaris non debetur, nisi vulneri in se spectato, aut accidentibus ex illo consequentibus.

II.

PARTIUM carnosarum intactis nervis, vasis, tendonibus punctim soluta cohæsio, id est, vulnus simplex in homine sano, solam agglutinationem primis diebus postulat, obtinendam partium approximatione, levi contentione, simul & balsamicorum vulnerariorumque medicamentorum ope. Quod si profundè subrepat advertendum nè ora citiùs quàm fundus ipse, à quo tamen semper procedit regerminatio consolidentur. Diducta idcircò retineantur filamento contorto, aut alio simili. Cautelâ pariter opus est, si vulnus in parte non ascendat, sed descendat. Quippe tum in fundo congregantur sordes circumquaque continuè depluentes. Cui incommodo itur obviam fasciatione circa fundum arctiori, leniori ad partem supernam. Ubi verò incassùm adhibetur, nè in fistulam vulnus abeat, fundus ut par est, aperiatur, nonnisi mundato vulnere, occlusoque priori foramine obturandus. Solida autem nunquam procurabitur conglutinatio absquè extractione omnium extraneorum quæ ab instrumento vulnerante

æ, aut aliundè, poſt inflictum vulnus in eo poſſunt deliteſcere. Id exequendum accommodatiori operâ. Si vulnus ſibi relictum alienam induerit formam, labia fuerint tumida, retorta, extremitates vaſculorum disjunctæ retroceſſerint, occalluerint; promotâ convenienter ſuppuratione, detumebunt, laxabuntur, molleſcent, vitiata pars à ſanâ ſeparabitur, vi vitæ decidet *eſchara*, roſeus in toto vulneris tractu reflorebit color, ad priſtinum reducetur ſtatum, cicatrix ſuccedet, glutinamenti terminus. In cunctis conveniunt ejuſdem ſpeciei vulnera cæſim inflicta. Secùs quando non nihil de partium ſubſtantia deperditum eſt. In hoc caſu ad redintegrationem ablati dirigenda primùm curatio. Licèt enim carnis regeneratio ſolius naturæ ſit beneficium adjuvatur nihilominùs medicaminum ut vocant *Sarcoticorum*, admotione, quæ partem fovendo copioſiorem ſuccum invitant, allapſum ſuâ virtute in fibram cogunt & confirmant. Dantur aliæ vulnerum ſpecies quæ ob fibrarum directionem, certum quemdam partis ſitum requirunt, ſuturarum-ve retinacula. Quibus neglectis fruſtrà tentatur læſionis reparatio. Si in deligatione quid immutant ſauciati viſceris prolapſus, aut liquoris qualiſcumque in cava corporis, diluvium, in periculo plus minus inſtanti, attentione diligentiâque majori, manuum aut inſtrumentorum appropriatorum artificioſâ adminiſtratione; ſummâ temporis longiori, breviori, tota differentia continetur. Cæterùm eò ſecurior, eò certior methodus, quò magis ad ſimplicem generalemque vulnerum tractationem accedit. Nec à ſolitâ recedendum viâ cum inſtrumentum penetrans oſſa quoqué in ſocietatem vulneris traxit; dum modo aër ſedulò arceatur, vitentur pinguia aëri nocentiora, ni *exfoliationis* urgeat neceſſitas, altera ſuppurationis ſpecies. Contuſio ſecundum ſolutionis genus multùm de vulnere participat, aut, ſi mavis, aggregatio eſt vulnuſculorum. Duplex dignoſcitur: Levis, tunc Ecchymoma & ſugillatio dicitur, ſponte, minimum, ſpirituoſis fotibus evaneſcens; moleſtior, quando ſcilicet, ſubcute ex dilaceratis vaſis congregata eſt humorum moles. Acerbiora ſæpè ſæpiùs quàm vulnus minitatur, nempè cum muſculorum ſubſtantiam contrivit, ſenſiles membranas, nervos, tendones, violaret; hinc in parte perit functionum integritas; inſolito pondere gravantur vicina collectioni organa, ſicque in aliis partibus functiones ſufflaminantur, aut interturbantur; tandem ſtagnando, putreſcendo acies fiunt humores, circumpoſita rodunt ac deſtruunt. Juncta vulneri contuſio, quantùm res ægri peſſum-datura ſit attendenti planum erit. Inflammationem facilè, facilè ſuppurationem concipiunt partes contuſæ; in abſceſſus convertuntur quos gangræna plerumque ineluctabilis corrumpit. Hanc labem poſſunt etiam experiri viſcera in corporis penetralibus abdita. Quo fato, affectionis indoles, læſæ partis conditio, curationis idæa, remediorum efficacia præmonſtrant. A reſolutione auſpicanda eſt contuſionis ſanatio, cujus ope dum attenuati exhalant aut reſorbentur humores, ulteriori etiam vaſorum læſioni proſpicitur. Hanc in methodum tota ne ſpes reponatur, ſi vetant effuſi copia, nimia partis dilaceratio, manibus verò acceſſus pateat, ſcarificatione, apertura, ſuppuratione ſaneſcit. Aliquando peſſimus membri ſtatus confeſtim ipſius extirpationem ſuadet; ſupervenientia aliquando mala, ad eam cogunt devenire. Non raro hanc unam ſalutis anchoram relinquit oſſium fractura, tertium ſolutionis genus. Quò major erit partium divulſio, diſtractio, quò plura fragmenta, quò gravior erit tendonum, nervorum membranarum offenſio; cum magna vaſa erunt vulnerata, aut aderit ingens ſimul contuſio, eò acrius omnem omninò aliam tractationem reſpuet. Simplici fracturæ ſola repoſitio in ſitum naturalem, reſtitutumque in ſitum retentio, faſciationis beneficio, ſufficit, ad novam enato callo ferruminationem. Immenſa foret ſpecierum in hoc genere deſcriptio, infinitus accidentium numerus, quæ nec adumbrare aggredimur hic loci. Utriuſque cognitionem dabit univerſalis vulnerum doctrina. Accidentia autem vulnerum ablegamus ad ſequentia, ubi de iis quæ Sclopetorum vulnera comitantur, aut excipiunt acturi ſumus. Paritas ſiquidem ex junctione magis eluceſſet.

I I I.

VULNERIBUS ſclopetorum nullo ſub reſpectu peculiarem competere tractationem dum ſubjungimus; Paradoxum nihil, nil à veritate abhorrens aſſerimus. Quartum quippé genus non conſtituunt. Facili negotio referuntur vel ad vulnus, vel ad contuſionem, vel ad fracturam. Qualitate partium offenſarum etiam congruunt. Facies ſi non una omnibus eſt, haud obſcura tamen emicant ſimilitudinis lineamenta, quæ tutò ducunt ad aſſignandum ordinem proſapiæ. Immò ſi attendatur ad inſtrumentum & vulnerandi modum, larvæ nil erit reliquum, tota detrahetur. Corpus obtuſum eſt, ſummâ vi adactum, quod impingit in ſubſtantiam, molliter reverâ, attamen reſiſtentem. Hanc non diffringit, utpotè quæ impetui cedit laxior, tenerior; non diſcindit, deſunt cuſpis & acies, quâ ſe inſinuet, quâ ſeparet fibras; aſt dilacerando ulteriùs penetrat, veriùs perforat. Parem ſubeunt diſtractionem partes in quas eâdem directione irrumpit; donec omnem ejus velocitatem abſumpſerint. Intereà dum vaſa ſanguifera quibus irrigatur cutis carniſque contextus, comprimuntur, refugit undequáque contentus humor; rumpuntur, profluit; parcè quidem, quando magnum vas ſanguinem affatim non eructat. Aliter qualecumque hoc ſtillicidium ſponte brevi exſiccatur. Etenim eodem momento vellicata nervorum filamenta vaſorum laſcinias contrahunt, occludunt orificia, quin & canalis diametrum ſtringunt, ſanguini affluenti denegatur exitus, congregatur; ad ora vulneris fit inflammatio,

tumor, tensio, dolor. Sub indè ægrescunt omnia, ni præsentis sentiant artis lenimentum. Monet ratio, docuit experientia, mitiùs procedere vulnera ex quibus larga scaturiit *hæmorragia*: propterea quòd exinanitis è propinquo vasis certo certius inflammationis periculum averruncatur. Advertendum igitur duce analogiâ, ut de plagâ incruentâ prodeat vulnus cruentum. Suam reipsâ symbolum confert humorum per alia loca evacuatio, suam utiquè revulsio à parte læsâ, & in aliam derivatio; proindeque v. s. purgantibus, ut & aliis quæ similem sortiuntur effectum sua est utilitas & fides. Cuinam depletioni plus tribuendum promptè dijudicabit, qui circuitûs sanguinis leges & phænomena noverit. Nec prorsùs omittenda est infrigidantium & corroborantium, vulgò defensivorum, exterior applicatio: modò nè astrictoriâ & coagulante vi polleant. Sed ea usus magis quam ratio huc usquè determinarunt. Hactenus nè res vulneratorum in pejus ruerent, prospicere tentavimus, nec quidnam adhibuimus auxilii præter id quod vulneribus aut contusionibus prodesse solet. Eâdem pergamus viâ ad curationis reliquum. Vulnus sibi relictum superiùs expressimus, & quid moliendum, ut crusta vasorum extremitates obducens cicatrici obstaculum, priùs excideret. Quid in contusionibus ubi partes commolitæ & emortuæ suppurationis artificio ab integris promptè divellendæ sunt, vulneris de quo sermo est inspectio, unum & idem indicat. Vivida impulsio, quâ fibras atterendo, rapidè sibimet viam pandunt glandes *Sclopetariæ*, vasorum ostiola laniatu fimbriata simul constringendo escharam accelerat, & quæ in vulnere cæsim facto post tres dies succresceret, quam in ulcere fistuloso patientum callositatem humorum acredo, temporis series inducerent, eodem instanti progignit. Totus igitur vulneris tractus ab initio medicamentis obliniendus est suppurantibus, plùs minùs actuosis, ut absumptis carnibus vitiatis, novæ ab omni puncto fibræ gemment. Contusionem in hac vulnerum specie semper adesse, nemo sanus dissimulabit. Præsens arguitur oculorum testimonio: comprobatur abnormi suppurationis illuvie, quâ remotas etiam partes violentæ commotionis participes fuisse deprehenditur. Stragem quippè impetus & commotio subsequens latè propagant & diffundunt. Eâdem idcircò operâ membranarum fibras ultrà tonum extensas, contortas, debilitarunt, humorum progressus interceperunt. Quibus adde nervos spasticè vibrantes, crispatos; certè lentorem, stagnationem, inflammationem, &c. nullatenus vitare poterunt infestam contusionis sobolem. Nec tam diras vastationes, tot ruinas, tantam malorum iliadem solæ valent concitare à Sclopetis emissæ glandes. Lapides, ligna, aut alia quævis, dum membra contundunt & dilaniant, similes quotidiè renovant Tragœdias. Nulla igitur habitâ ratione instrumenti, ex remanentibus effectibus instituatur tractationis modus & processus, qui in hac contusionis specie constanter iidem esse debent ac in cæteris. Forsitan aliter fractura erit procuranda, si g'ans *Sclopetaria* in os inciderit, ipsum læserit, confregerit. Nequaquàm. Essentialiter eadem est fractura. Licet, v. g. dilatandum sit exterius foramen, justo angustius; vulnus sit ampliandum, ut extranea, ossium festucæ eximantur exploratioque sit commodior; pari semper arte opus est, ut ossa conserveant. Uno verbo, qui probè fracturatum pericula dignoscere promptus erit; qui callebit ipsis & aliis ossium morbis efficaciter mederi, is certè ampliori non indigebit scientiâ ut hoc telorum genere percussis subveniat.

I V.

VERUM enim verò si nullas dissimilitudinis notas revelavit vulnerum in se spectatorum examen; quid impedit, nè quædam inter accidentia lateant, undè diversæ tractationi necessitas evincatur. Non minùs ex hac parte nimiâ frustratur curiositas. Dicant, quæso, nùm ex undans sanguis aliter sistendus? Nùm lacessentes convulsionis insultus, aliter compescendi, Nùm superveniens tumor aliter avertendus, minuendus, dissipandus? Nùm arte singulari & extraordinaria providendum nè gangræna partes exedat? Nùm infectæ speciali purgatione à tabe mundandæ sint? Minimè gentium. Quæcumque causa sanguinis alveos reseraverit, semper injectis supernè vinculis, aut vasorum ligaturâ, aut ferro candente, & aliis ejusdem potentiæ, aut pulveribus stypticis profluenti fræna erunt injicienda. Vasis aperti capacitas, situs, natura, &c. uni ex allatis palmam semper assignabunt. Ubi parùm proficient, membri extirpatio commune semper erit vitæ retinendæ confugium. Aliundè sæpè sæpiùs crusta quæ in hoc casu vasi adnascitur cum superficie tenus comminuta est ipsius paries, ad tempus illud obsitmat, & obex additur sanguini, modò siccis medicaminibus â celeriori suppuratione defendatur. Membraneæ partes, nervi, tendones semilaceri, in hac specie, ut in reliquis, convulsiones solent accersere; ossium contritorum aculeis, extraneorum molestâ titillatione eædem perrennant. Nonnè sedantur, ut in aliis, totali nervorum tendonumque excisione, aut tensas laxando partes productiori vulnere, Remittunt quoquè exemptis proritantibus. Hinc curandum nè acriorum admistione applicata remedia exacuantur. Nec diversitas exurgit ratione corporis extrahendi, sivè glans sit *Sclopetaria*, quæ non raró sinè noxa relicta fuit: sivè teli mucro de fixus, sivè pars stet hamatæ arundinis. Vetus *Chirurgia* modos excogitaverat quibus hæc revelleret. Illos cautè adhibentem nunquam destituent. Nova instrumenta, forsan habiliora, attamen ex priorum exemplari fabricasse laus sit penes Neotericos. Quis nescit tenuiorem esse in poliendo quam in dedolando laborem. Frequentiùs quidem tumore stipantur Sclopetorum vul-

nera, ſed non ſola. Aliis in caſibus uſitata præſcribantur remedia, in hoc pariter votis res ſuccedet. Viger ſemper paritas ſivè pars à glande *Sclopetarâ*, ſivè à lapide percutiatur. Gangræna depaſcens iiſdem præſidiis coërcebitur; altis nempe ſcarificationibus, ut remediorum efficacia vivas ad uſquè partes pertingat & ſenſiles, ſanas quaſi loricet & protegat, ſollicitataque Naturæ corruptarum ſeparationem intendat; denique artûs amputatione. Difficiliùs ad cicatricem perducuntur talia vulnera. Fatemur. Fodicata pars deturpatur. Sæpè motus in membro perit. Quid indè? Periculi & laboris multùm. At diverſitatis vel levioris nè umbra quidem. Circularis eſt vulneris ambitus, & à Chirurgiæ incunabulis adverterunt Medici, ulcera rotunda ægriùs cicatrice coadunari. Ubicumque deperditio fit ſubſtantiæ ibi remanet, ut plurimùm, fœda & inæqualis cicatrix. Motûs aboliti cauſa in deſtructam vulnere aut ſuppuratione muſculorum compagem refundenda eſt. Reſectis iiidem nervis vaſiſque ſanguiferis deficit nutritio, marceſcunt ſubjectæ partes, ſtupent, rigeſcunt. Quin & ſanationem protelant inciſiones quæ protendendæ ſunt, ſivè ut concidat tumor, ſivè ut extraneum quid amoveatur. Nec iſta differentiam innuunt: è contrà affinitatem, ſi aliundè peccaret, confirmarent. Quæ verò in deligatione impenditur temporis ſumma, vulneris gravitatem & contumaciam ſolummodò aſtruunt.

V.

URGEBUNT quidem offendentes agnitam diverſitatem expoſtulaſſe variam methodum, quæ in libris de hoc argumento exaratis deſcribitur. Titulis deluſi ipſos evolvimus, differentias in eis indagavimus, nec ullas poſt lectionem ſuſpicari datum fuit. Contendant pari jure inſcripta de vulneribus pedum aut manuum volumina peculiare quid edocere nos poſſe; quod ex univerſali vulnerum *Chirurgiâ* decerpere non ſit. De vulneribus Sclopetorum egerunt Botallus & Maggius. In id toti ſunt ut extrà dubium ponant nec amburi partes, nec pulveri pyrio venenatam in eſſe qualitatem. In ſuper accidentia & eventum graphicè notarunt, collexerunt diligenter. Verùm curationem cum cæteris, ratione indicationum, conſentaneam tradiderunt. Veneniferorum animalium morſus aut infecta tela propriam artem expetant, veneni natura ſymptomatum differentias ſuſcitat, *ſpecificis* impugnandas. Qui verò in allatâ ſpecie effingendis differentiis inſudant, nodum in ſcirpo, aut in muſtaceo laureolam quærere videntur. In Medicis magna vis eſt *analogiæ*. Inflammatio quæcumque loca impetat, iiſdem armis debellatur, quæ detecta cauſa ſubminiſtrat; ideò quòd intrà obſeſſas partes eoſdem concit tumultus. Enumerantur ſymptomata cuique parti propria, eo ſolum fine, ut quænam pars afficiatur, mente ſaltem, ſi non ſenſibus aſſequamur. Iidem eſſe debent tractatuum de vulneribus limites. Exponant fideliter ſingulorum ſymptomata, mentem evehant ad præſentiendos ſingulorum exitus; quid fugiendum præmoneant; ſed à præcipiendâ curatione prudenter abſtineant. Univerſalis Chirurgiæ regulis imbutos diſcernere ſinant quâ nam viâ ad ſanationem utile ſit progredi. Artem longam nimis, vitamque brevem eſſe in confeſſo eſt apud omnes. Per tot ambages, per tot diſcrimina deducere nos ſuper ſedeant. Labyrinthum ædificant, cujus perplexos parietes, nè proprio filo adjuti remeare queunt. Raritas horum ce vulnerum in expertis & ignaris fucum faciat, admirationem moveat; nova & indicta priùs detexiſſe ſibi inſulsè glorientur. Nobis ſufficiat viam præmuniſſe ad concludendum.

Ergò vulneribus Sclopetorum ſua non competit Peculiariter tractatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Theodorus Baron.

M. Andreas Cantwel, Regiæ ſocietatis Londinenſis ſocius.

M. Benjamin-Ludovicus de Laurembert.

M. Leander Peaget.

M. Ludovicus-Alexander Vieillard, Pharmaciæ profeſſor deſignatus.

M. Ludovicus-Guillelmus le Monnier, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.

M. Guillelmus-Joſephus de l'Epine.

M. Ludovicus-Hyeronimus Coſnier.

M. Joannes-Ludovicus le Thieullier, Regis Conſiliarius in majori Conſilio & in magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.

Proponebat Pariſiis ANTONIUS LE CAMUS, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1744, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1744.